



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

N. Zebuanus in Philippin. n. 41

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

39. A CREMONENSI *asserente*, Neminem vnquam aut Papam, aut Episcopum bonum futurum, qui Societatem IESV non coleret, & amaret. *Ingentia sane verba, & nisi ex ardentissimo in nostrum Ordinem amore prolata sine rubore haud referri possent. Ita in Annal. Soc. ann. 1607. fol. 17.*

*Nemo bonus, qui eam non colat, & amet.*

40. A IULIENSI *In Prouincia Veneta statuente*, vbi sine graui offensa Religiosorum aliorum Ordinum fieri posset, se neminem illuc ad conciones, & alia ministeria Societati congrua, præter homines Societatis aduocaturum. *Ita Ibid. fol. 58.*

*Ad conciones, & alia ministeria sola aduocanda.*

41. A ZEBVANO *In Philippinis: Qui videns Bachanalia in sanctimonialia per triduum conuersa*, Sanctæ Societatis (*sic Nostros appellabat*) sanctam inuentionem, excogitationemque ad arcenda ex hominum mentibus peccata, dicebat. *Sic Ibidem. fol. 281.*

*Bachanalia in sanctimonialia conuertit.*

42. A BARGINONENSI: *Qui pro collatis erga Societatem beneficijs, cum à P. N. Generali literas accepisset*, quibus eum participem spiritualium Societatis bonorum faciebat, hanc ille communicationem tanti fecit, vt Episcopatu ante ferre, non dubitauerit. *Ita in liter. annuis Societ. ann. 1608. fol. 59.*

*Communicatio suorum spiritualium bonorum Episcopatu antefertur.*

43. A PERPINIANENSI (*alias Elna*) *asserente*, Se ita paratum ad munia Societatis promouenda, vt victum, & quibus tegebatur indumenta sibi detrahi facile pateretur. *Ita in Annal. Soc. ann. 1606. fol.*

*Quante sint estimationis eius ministeria.*

44. A MVRCIANO, *tanti Missionum Societatis operam faciente*, vt publicè in Templo nostro populum adhortans, ad Nostros conuersus dixerit: Agite Patres, & his excursionibus negotio vtilissimo impigre vacate: certoque vobis persuadete, quod & ipse teneo, hoc inter cetera ministeria Ecclesiæ Catholicæ longe esse fructuosissimum, adeoque præcipuum. *Ita in Annal. Soc. ann. 1610. fol. 124.*

*Societatis Missiones præcipuum & fructuosissimum Ecclesiæ ministeria.*

45. A LVCEORIENSI *in Polonia, diplomate etiam cauente*, Ne quisquam alius in Vrbe conscientia controuersias publicè doceret, præter Societatem. *Ita Ibid. fol. 417.*

*Solis Socijs conscientia controuersias publicè docere per-*

46. A *mittitur.*